



Quæstionum, Et Resolutionvm Legalium Libri Duo

Quæstionum, Et Resolutionum Legalium Libri Duo - Quorum Prior in duas Partes divisus, continet Resolutiones Beneficiales, Canonicas Et Regulares: Secundus Controversias Civiles determinat

Tonduti, Pierre François de

Lugduni, 1683

Cap. LXXXII. De modo procedendi inter regulares in electionibus, quando propter aliquem casum non prævisum, Capitulum ad duos electores redactum est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98367](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98367)

rem, non subsistere, uti rationi & juri contrariam: Ludov. *decis.* 310. *num.* 5. Quæ tamen ita per Addit. ad Ludov. ad concordiam reducuntur, ut prior opinio procedat, juxta subsistente causâ, & in certis casibus particularibus: posterior verò quando minùs dignus indistinctè, in omnibus actibus, & absque rationabili causa præcedere vellet digniorem.



CAPUT LXXXII.

De modo procedendi inter regulares in electionibus, quando propter aliquem casum non prævisum, capitulum ad duos Electores redactum est.

SUMMARIUM.

- 1 Electio canonica quæ dicitur.
- 2 Canonica electionis vox variis modis accipitur.
- 3 Electio fieri debet per vota secreta, alias nulla est, & invalida.
- 4 Collegium licet non possit consistere in duobus, potest tamen in duobus conservari.
- 5 De jure canonico, Collegium etiam ab initio potest in duobus consistere.
- 6 Si capitulum reducatur ad duos electores, illi possunt eligere Discretum.
- 7 Si duo tantum sint electores, & eligibiles, unus potest consentire electioni de se per alium facta.
- 8 Electio non valet, si quis se ipsum nominet, propter ambitionem quæ interveniret.
- 9 Scrutini forma non est necessaria, quando de facto observari non potest.
- 10 Unus ex electoribus potest eligere alium palam, quando aliter electio fieri nequit.
- 11 Proponitur distinctio Menochii in hac questione, ut si casu non possit reperiri sufficiens numerus, electio etiam non secreta, sit valida: secus si facta alicujus tertii.

PRæsupponitur in quadam regularium congregatione, electiones esse sub duplici differentia. Prima est illa quæ canonica dicitur, in qua major eligentium pars in unius personæ electionem convenit: v. g. si ex viginti suffragantibus, undecim suffragia, vel plura in unum concurrant: quamvis alias canonica dicatur electio, quando electi fuerint à Superioribus aliqui, qui eligentium vota diligenter excipiant: † hanc enim canonice esse, censuit Sacra Congregatio, ut testatur Nicol. Garc. *part.* 5. *cap.* 4. *num.* 189. quia tunc vota eligentium sunt secreta: ut ibidem tradit Garc. Sed melius Hostiens. in *summa*, tit. de elect. *num.* 1. definit, ut sit alicujus personæ ad dignitatem, vel ad fraternam societatem, servatâ formâ, canonicè facta vocatio. † Didicæque vox canonice electionis quandoque sumitur in ampla significatione; ita ut sufficiat illam factam fuisse de consensu eligentium, & electi; dummodò non intervenierit causa quæ illam inficiat: v. uti si facta esset per abusum sæcularis potestatis, vel ad populi clamorem. Quandoque sumitur strictè, quando omnia interveniunt, quæ sunt de substantia, licet non observetur forma *capit.* quia propter, de elect. veluti dum agitur de electione ad canonicatus,

in quibus Ecclesia non remanet viduata pastore. Aliquando denique strictissime, quando videlicet forma *dilecti cap.* quia propter, servata fuit; ut explicat Lotter. de *re benef.* lib. 2. *quest.* 16. *mon.* 18. Nos hic constitutionis canonice nomen ad dictæ religionis constitutiones referimus.

Secunda ergo electionis forma in dicto ordine, & ex ipsius constitutionibus, dicitur non canonice, in supplementum primæ inducta: solet enim plerumque contingere, ut voces seu suffragia eligentium hinc inde dispergantur, ita ut in nullum ex eligendis suffragiorum concurrat medietas. Si electio canonice esse non possit; tunc secundum constitutionem, ex omnibus eliguntur illi duo, qui præ cæteris, plura suffragia in secunda experientia habuerunt: vel si unus quidem plura, alii verò paria præferendus erit ille qui primò professus fuerit, & horum duorum nomina scribentur, & affiguntur super duobus distinctis bursulis, aut vasis; & tunc qui plura ex his suffragia habuerit, etiam citra medietatem, publicabitur electus, ut supra: quod si iterum in paritate vocum concurrant, ille publicabitur, qui antiquior fuerit in professione.

Ex alio textu dictarum constitutionum, debet esse saltem tres vocales eligibiles, ad hoc ut legitime fieri possit electio Discreti in unoquoque conventu: aliâs talis electio irrita sit.

Occurrit casus. Sunt in uno conventu quatuor vocales, scilicet Superior, & tres alii eligibiles & electores: in prima probatione scrutini, unus illorum habet duo suffragia; alii duo habent unum: Quæritur utrum ille qui duo habet suffragia, possit dici canonicè & legitime electus, sine alia experientia. Ratio dubitandi est, quia si iste non censeatur legitimè & canonicè electus, duo ex istis tribus debent proponi: videlicet ille qui habuit duo suffragia, & illi qui habuit unum duntaxat, & qui ultimus, & antiquior in professione: & cum isti duo proponantur eligendi, debeant exire de capitulo juxta constitutiones ejusdem ordinis, remanent tantum duo electores, videlicet superior, & alter vocalis: ita ut pro tanto tot sint electores, quot eligibiles: & ita quæritur, utrum duo possint eligere duos: † Quia cum electioni debeat fieri per vota secreta, & per suffragia, Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 6. *Lezana in summa regul.* tom. 1. *cap.* 15. *mon.* 17. si duo isti non concurrant, ita ut unusquisque eligendorum, habeat unum tantum suffragium; electio non est secreta, neque per secreta suffragia: & per consequens nulla.

Sed tamen non obstantibus superioribus debitis, conclusum fuit illam electionem validam esse, & legitimam, atque ita fuit observatum: quævis per duos duntaxat electores facta fuisset. † Quia licet collegium non possit subsistere in duobus de jure civili, *l. Neratius*, ff. de verb. signif. in duobus tamen conservari potest, si legitimus numerus in loco intervenierit: *l. sicut mancipium*, §. final. ff. quod in jusque univers. nomin. † De jure verò canonice, ab initio potest consistere in duobus, ex traditis Tusch. *litter.* C. *conclus.* 452. *num.* 11. per text. *cap.* 1. de elect. Rot. *decis.* 860. *num.* 7. & *decis.* 100. *num.* 5. coram Seraphino, Tamburin. de jur. Abb. tom. 1. *disp.* 5. *quest.* 8. & seq. † Et ideo cum in principio quatuor adessent vocales in capitulo, quæ potestas ad duos redacta est, illi duo possunt eligere Discretum: prout etiam punctualiter tenet Abbas *consil.* 25. in 4. dubio, lib. 2. ubi dat varios modos procedendi in casu isto: † & inter cæteros modos procedendi per Abbatem ibidem propositos, secundum

Quæst. & Resol. benefic. Cap. LXXXIII. 139

SUMMARIUM.

- 1 Futuro monasterio donari potest favore pie cause.
- 2 Pollicitatio nuda actionem producit favore pie cause.
- 3 Ex quibus dignoscatur, utrum dispositio sit modalis, vel conditionalis.
- 4 Favore Ecclesie donatio non rescinditur ob inobservantiam.
- 5 Locus in relictis piis in dubio censetur appositus demonstrativè, potius quam taxativè.
- 6 Qua requirantur ad inducendam novationem primæ donationis per secundam.
- 7 Donatio facta Ecclesie, non revocatur ex defectu acceptationis ipsius Ecclesie.
- 8 Donatio facta Ecclesie, non potest revocari per heredes donatoris.
- 9 Post litem contestatam non potest fieri revocatio donationis.
- 10 Quando agitur de favore pie cause, Deus ipse statim acceptare censetur.
- 11 Ob juramentum, & stipulationem Notarij, utrum jus acquiratur donatario irrevocabiliter.
- 12 Episcopi auctoritas requiritur in erectione Ecclesie, sed non in legato facto pro Ecclesia construenda.
- 13 Donatio facta pro Ecclesia erigenda, statim est valida, ad effectum obligandi donatorem.
- 14 Summus Pontifex non tenetur in omnibus sequi donatoris voluntatem.
- 15 Donatio conditionalis retrahitur post purificationem conditionem, ut ex tunc, non ut ex nunc.
- 16 Ex donatione condicionali statim oritur jus reale & hypotheca, dummodo postea purificata sit conditio.

Fundatrix anno 1609. pro erectione conventus summam competentem donaverat, super cujus solutione fuit diutissime disputatum, nullæque excitatæ difficultates: quibus superatis, fuit decissum pro continuatione executionum, ad effectum construendi conventum juxta fundatricis mentem: Pro cuius rei fundamento in primis conclusum fuit, veram & communiter receptam sententiam esse, quod futuro monasterio validè potest fieri donatio. Guid. Pap. decis. 267. Gonzal. ad reg. 8. gloss. 5. §. 7. num. 101. Gratian. discep. forens. 358. num. 34. dicens Deum ipsum pro loco pio acceptare. Nicol. Garc. de benef. part. 4. cap. 9. numero 50. Imò etiam hoc casu, adversus donatorem agi potest ex nuda pollicitatione. Paul. de Citadin. in tract. de jure pævon. part. 3. num. 48. 49. & 50. & quilibet de populo agere potest. Gratian. d. cap. 358. n. 14.

Secundò fuit suppositum, dispositionem fundatricis in casu proposito, non posse dici conditionalem, sed vel puram omnino, vel saltem sub modo conceptam: cum onus fabricandi conventum appositum in dicta donatione, non debuerit adimpleri, nec potuerit, nisi traditis primò pecuniis pro conventus fabricatione donatis: ut patet ex verbis donationis; quibus cura fabricæ dicti conventus datur Rever. Patri Provinciali, qui ad hos fines desumat 2000. aureos de bonis donatis; quod expeditionem pecuniarum præcedentem requirit: & onera, in secundo contractu foundationis facto in confirmationem primi, debeant omnino post mortem fundatri-

M 4 cis

modus magis ad propositam facti speciem adaptari potest, videlicet quod tali casu non sit necesse quod electio fiat per vota secreta: sed isti electores qui fuerunt in parvo numero, possint etiam palam & in aperto tractare de mittendis aliquibus ad capitulum: & tunc deputatus per alium, poterit consentire, quia non ab ipso oritur electio, sed à socio; cui ipse duntaxat assensum præbet. Nam si seipsum nominaret, non valeret electio, tanquam facta per ambitionem. Paril. de resignat. lib. 9. quest. 17. numero 104. Cenedo collect. 99. in decretales, numero 3. per text. in c. qualiter. & quando, de elect. cum distinctionibus per cum allatis.

Nec isto casu necesse est, ut electio fiat per scrutinium secretum, etiam si in constitutionibus ordinis hoc expresse caveatur: quia talis forma non est de facto possibilis, cum unus non possit votum alterius in occulto scrutari; & ideo constitutio vendicat sibi tantum locum in conventibus, ubi forma scrutinij secreti potest observari: quia lex non adstringit, ubi de facto servari non potest. Joan. Andreas ad tit. de regul. juris, quest. 34. ¶ Concludendum est, quod quando isti duo procedunt ad electionem sine forma scrutinij, tunc unus ex electoribus poterit alium eligere palam: & talis electus poterit consentire: quia licet vox electi non computetur in numero, quando proceditur per formam scrutinij secreti; aliud est in casu proposito, in quo proceditur per vim scrutinij manifesti. Unde colligitur quod constitutio obligans ad scrutinium secretum, non habet locum in casu isto, in quo ex natura rei scrutinium secretum fieri non potest: quod etiam tenuit Petr. de Baxio in direct. elect. part. 3. cap. 23. num. 2. versic. & adverte. Emanuel Roderic. tom. 2. quest. regul. 51. artic. 2. Mirand. in manual. prelat. regul. part. 2. quest. 2. artic. 16. in 2. conclus. versic. sed quid si electores sunt tantum tres. Hieronym. Roderic. quest. regul. cap. 58. num. 2. Lezana in summa quest. regul. in verb. Electio inter regulares. 4. & optimè Menoch. consil. 1226. per totum, volum. 13. ubi distinguit duos casus. Primus; quando casu, & sine culpa numerus eligentium redactus est ad unum, vel duos; ut tunc tenet electio. Secundus; quando non casu, sed facto alicujus intrinsecus venit impedimentum; & tunc electio per duos facta non subsistit, ut ibi per cum: secundum quam distinctionem contrariæ Doctorum conclusiones concordantur, & resolvuntur. Porro in terminis questionis propositæ; numerus eligentium sine culpa, imò in vero casu fuerat imminutus, & per consequens bene decissum fuit, electionem esse validam, & ita practicum.



CAPUT LXXXIII.

De donatione facta ex causa foundationis monasterij construendi, sub modo, vel conditione; utrum ob non adimplementum modi sit locus rescissioni illius. Quomodo designatio loci in quo monasterium construendum est, censeatur facta demonstrativè, aut taxativè. An necessaria sit in tali donatione Episcopi auctoritas. Et utrum per secundam donationem ad eandem causam factam, censeatur revocata, vel novata prima, cum extinctione hypothecarum.